DE MORBO NIGRO DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD MEDICINÆ...

Giovanni Battista Rigamonti

DE

MORBO NIGRO

Dissertatio Inauguralis

QUAM

AD MEDICINÆ LAUREAM

IN SCIENTIARUM UNIVERSITATE PATAVINA

RITE ADIPISCENDAM

PROPONIT

JO. BAPTISTA RIGAMONTI

TARVISINUS

PATAVII

EX OFFICINA SOCIORUM TITULO MINERVA

1838

A

MIA MADRE

PERCHÈ

TUTTE MANIERE

DI TENEREZZA DI CONSIGLIO DI PROVVIDENZA

IN OGNI TEMPO

LARGAMENTE MI PRODIGAVA

A LEI

NON A BASTEVOLE GUIDERDONE

SOLO IN SEGNO

DI RICONOSCENZA CORDIALE PROFONDA

QUESTE POCHE LINEE

CON AMOROSA EFFUSIONE DELL'ANIMA

NEL GIORNO DELLA MIA CORONA

CONSACRO

DE MORBO NIGRO

" Conjecturalem artem esse medicinam, rationemque
„ conjecturae talem esse, ut eum saepius aliquando re-
„ sponderit, interdum tamen fallat. „
A. Corn. Celsus de Medicina. Lib. II. Cap. 6.

Nullus profecto fere morbus plurimarum fuit disceptationum argumentum, quam ille de quo pauca sum dicturus, ut academico munere perfungar; nullus aliunde morbus expertissimum postulat medicum, ne res in pejus ruant; utpote qui symptomatibus gravissimis prodit, eorumque indoles talis est, ut difficile primo intuitu sit determinare statum virium vitalium a quo pendeat. Attenta morbi hujus consideratio salutaris praetermodum medicis iis futura foret, qui systematis nimio ducti amore; commodique usus, simplicitatisque decipientis neotericarum doctrinarum nimis amici, noxii potius quam utiles humano generi in miseriis et aerumnis adversae valetudinis gementi plerumque evadunt. Nemo verum me gymnasii hujusce liminibus vix egredientem viros egregios atque de rebus medicis optime meritos corripere velle arbitretur; quamvis enim coram Vobis, Moderatores Praestantissimi, faustissima hacce die locus mihi datum sit: non est quod vocam meam ad Vos

convertam, ut ore meo fluentia praecepta Vobis tradere ausim. Quidnam est in me quod a Vobis non receperim, ideoque Vos lateat? Tyronibus illis, meisque sociis sermonem profero, ne sapientiae vestrae consilia obliti, in novitatis phrenesim praecipites labantur. Vobis ergo, non ut discatis, sed judicium vestrum venerandum de tenui meo labore feratis, me hodierna die disserentem expono.

§. I.

Historia, Definitio, Synonymia Morbi.

Seu qua plurium morborum symptoma, seu qua morbus ex se, morbus niger et veteribus medicinae cultoribus remotissimis usque aevis innotuit. *Melaena*, a graeca vocae μέλας, *niger*, fuit quoque nuncupatus; deinde *evacuationes nigrae*, *dysenteria cholerica*, *splenica*, *nigra hepatico-splenica*, *haematemesis splenica;* postremis autem nostris temporibus morbus, de quo animus dicturi, *haematemesis melanodes* appellatus est; horum omnium nominum cohors in usum vocata est ad morbosum phaenomenon denotandum, quod in vomitu materierum nigrarum unà cum ejusdem indolis alvinis evacuationibus consistit.

Hippocrates summus ille tutioris medicinae parens morbi nigri perconcinnam, more suo, tradidit

descriptionem; neque Galenum hujusce morbi cognitio latuit; ille enim atrabili passionem referebat, splenisque vitium qua causa incusabat: ampliorem verum de morbo scientiam ostendit cum sanguinis nigritudinem neque ab hepate aut splene, sed a diuturna ejus in ventriculo mora pendere docebat. A Galeno usque ad Morgagnium omnes qui de morbo nigro scripserunt vel hypothesibus nimis indulserunt, vel pro arbitrio morbi indolem ostendere conabantur; neque mirandum si summi quoque viri in errorem inciderint: eorum voluntas aut temera arrogantia non est de hocce defectu corripienda, sed potius temporum conditio. Deerat revera illud auxilium, quod ad pathogeniam prae caeteris artis aut scientiae praeceptis deprehendendam maxima semper cum probabilitate conducit. Morgagnius itaque, Morgagnius ille quo jure Italia nostra superbit, ille, inquam qui Baillie, Bell, Andral, Ribes, Cruveilhier semitam gloriosus indigitavit, sanguinis proventum in ventriculum et intestina a sanguineis exhalationibus in eorum superficiebus contingentibus, qua morbi nigri causa proxima consistere ostendit; quae autem causa in chronica horum viscerum phlogosi consistere Tissot arbitratus est. Facile est inventis addere, canebat Horatius; et reapse paullo post Cullen, J. P. Frank, Sprengel et Pinel haematemesis varietatem indolis chronicae morbum nigrum considerabant;

studia deinde Portalii et Santarelli pathologiam clinicam ope observationis pathologicaeque anatomes, sedem, indolem et therapiam morbi summa cum perspicacia statuerunt. Nihilo tamen secius medicina quoad morbum nigrum securitatem non attigerat, qua, in quantum humani ingenii vires patiuntur, caeteros morbos aggreditur. Celebri medico et professori Sparanza uberiores de hoc illustrationes, practicasque cum theoricis animadversiones producere fuerat reservatum. Auctores qui de morbo nigro tractaverunt annumerans, fontes jam annuncio e quibus notiones hausi, quae hunc libellum totum constituunt; malui enim quam pomposus propter novitatem, securus propter sententiae maturitatem incedere; corvi pariter tali pacto fabulam vitabo; meque alienis plumis venustum, pennisque meis non aptis humeris pollentem non praedicabo; nimio hujusmodi jactationes pretio solvuntur.

§. II.

Descriptio et Symptomata Morbi.

Morbus niger de repente non exsurgit, ipsum immo longum per temporis tractum praecedere solent phoenomena, quae temperamentum lymphaticum, melancholicum, irascibile indicit, ineffabilis in motum aversatio, universa denique aegritudo.

Prima morbi indicia in turbatis tubi gastro-enterici functionibus prodeunt: lingua sicca et rubra; nauseae, sapor oris amarus, ingratus; ructus acidi et foetentes; dolores ad ventriculum, ad hypochondrium laevum praesertim post cibum ingestum; borborygmi; venter tumidus; tormina vagantia per regionem umbilicalem, lumbos et hypogastrium; alvus obstipa: urinae crudae, pallidae, aquosae: hae autem turbae modo vagae modo fixae comparent, annos interdum, ubi vomitus non prorumpat, perdurare visae sunt. Imminutam ob nutritionem cutis totius color flavo-pallidus fit, corpusque cachecticum et macilentum adspectum sumit; frequentius dolores ventriculi ingruunt, adeoque atroces et diri ut perlevis regionis epigastricae attactus vomitum interdum provocet. Hisce sub doloribus, et lipothymiae sensu procgrediente summa cum virium prostratione, intensoque frigore par universam corporis superficiem propagato; sanguinem plus minusve corruptum, modo densum, concretum modo, nullius autem modo consistentiae, coloris rubro-fusci, nigricantis, picei, atramento vel faecibus vini similis, intolerabilis odoris, exhalationes cadaverum putrescentium aemulantis aegroti vomere solent. Sanguinis interdum meri emeses materiei obscurae nigricantis expulsionem praegrediuntur: neque defuerunt casus in quibus substantia quaedam nigra, fuligino-

sa, carbonis porphyrisati speciem referens per vomitum ejecta est.

Horreret misericors quisque lector si naturae penicillo deplorandum morbo vigro laborantium statum delineari posset. Violentes cardialgiae, spasmodica distensiones in regione epigastrica, dirissimi ad praecordia dolores cum anxietate, palpitationibus, respirationis oppressione sensuque suffocationis. Syncope in omnibus phoenomenon constans: aliquibus plus minusve frequentes evacuationes obveniunt; repentinae et copiosae bis, illis lentae et parcae; alvinae interdum supprimuntur, earumque loco vomitus increscunt; saepe saepius utraeque subsistunt. Quum hepar, pancreas et splen in passionem trahantur, immo plerumque idiopathice adficiantur, in morbo nigro; hinc turbati jecoris causa exsurgunt: dolor et tensio hypochondrii dexteri, vomitus et dejectiones materierum biliosarum, grumorum et albuminae sub forma, labiorum color flavescens, volarum manuum plantarumque pedum; propter male adfectum splen in scenam prodeunt: tensio et dolor hypochondrii sinistri; propter intestina: tormina fixa aut per ventrem, lumbos vagantia, meteorismus, flatus foetentes et sic porro: pancreatis ergo indurati aut suppurati, copiosa salivatio, ptyalismus. Ob diuturnam in ventriculo moram, et succorum gastricorum alterationem quam sanguis acredinem, aciditatem, putrescentiam

contrahat, feroces lancinautes, corrodentes ad scrobiculum cordis dolores, lipothymiae, pervicax singultus adoriuntur; bilis praesentia in ventriculo frequentissimos vomitus promovet; aegritudinis ad cerebrum propagatio cephalalgia, tinnitus aurium, vertigines, hallucinationes et obnubilationes, imperfectam denique amaurosim. Hunc statum febris etsi mitis constanter tamen comitatur, cujus quotidiani accessus seu exacerbationes vespertinas intensum frigus praecedit; pulsus rhythmus varius; celer, inaequalis, parvus, contractus, obscurus, intermittens; morbo ingravescente tum cruentarum evacuationum frequentium nimis et copiosis, aliorumque morbosorum simptomatum complexus causa, vehementior febris evadit, et consumptivae characterem assumit. Debilitas inde extrema, emaciatio, cutis ariditas, maculis flavis vel rubidis, veluti in scorbuto, notatae; vel cereus undique cutis pallor; linguae siccitas cum siti inexplebili. Tali sub rerum statu variis in textubus phlogoses erysipelatosae in gangraenam nitentes accenduntur: effusiones et hydropes tum locales cum generales eveniunt. Virium prostratio et dyspnoea adaugentur; thermogenesis imminuitur; marmoreo extremitatum frigori cutaneus viscosus, glutinosus sudor consociatur; facies fit plumbea; obscurantur oculi, vox extinguitur; apud aliquos convulsiones, apud alios sopor aut somnus compareut; nonnulli sui metipso-

rum compotes omnino permanent; omnca verum anbita velnti morte corripiuntur. Notatu hercle digna et psychici status turba in morbo nigro plerumque contingens. Aliqui tristes, melancholici, cogitatundi: alii egoistae, insociabiles fiunt: animus eorum jucundos respuit internos sensus, taedent vitae: nonnulli in ferociam, violentiam, suspicionem, diffidentiam ruunt: proximos dilectosque antea erga consanguineos animum ingratum usque ostendunt; proclivitatem denique summam in maniam adipiscuntur.

§. III.

Anatomia Pathologica Morbi.

In hominibus morbo nigro e vivis ereptis plus minusve simultaneae et constantes sequentes alterationes deprehensae fuere, nempe: Hepar aut atrophicum, vel scirrhosum, modo cartilagineis, osseis concretionibus scatens, modo antem magis quam par est voluminosum, imbutum aut sangoine vacuum; Lien fracidum, grande, induratum, cartilagineum, osseis sparsum concretionibus: ventriculus parvus, durissimus, aliqua in parte corrosus, perforatus, maculis flavo-aquilis, nigris notatus, ulceratus, ob serum sanguinolentum sive alia fluida distensum: pylorus induratus, scirrhosus: duodenum unâ cum ventriculo parietibus consistentioribus et inflammatis, ma-

culis operti gangraenosis: tubus gastro-entericus phlogosi correptus; interna ejus membrana maculis nigris gangraenosis aut sanguine imbuta atro: vasa brevia lacerata, atro dilatata sanguine, interdum etiam illaesa: vasa splenica, hepatica, dilatata et sanguine coagulato repleta; rami venae portarum rupti: arteria caeliaca plerumque aneurysmatica: in cavitate tubi gastro-enterici a ventriculo totum per tractum intestinalem magna copia sanguis concretus; serosa in abdomina effusio; plurima insuper alia, quae quum pauci sint momenti, caeterisque etiam communia morbis brevitatis amore omittuntur.

§. IV.

Aetiologia Morbi.

Duplex causarum series in morbum nigrum suscipiendam contribuunt, praedisponentes scilicet et occasionales: Primis accensentur: temperamentum melancholicum, irascibile, propter quod vehementes animi emotiones quum abdominales infarctus determinent, ad morbum opportunitatem pariunt, istinsmodi influxum aneurysmatica vasorum dispositio exercet, vitae genus sedentarium, quod cursum sanguinis in vena portarum cohibet, et hepatis splenisque angioideaibus favet: eodem pacto nonnullae agunt artes et opificia, quae habitualem in ventricu-

lum et organa abdominalia compressionem afferendo, statim sanguinis vomitumque eruentum provocant. Causis occasionalibus adscribuntur: chronica phlogosis enterica, vitium quodcumque organicum, membranarum ventriculi et duodeni et praesertim induratio et infarctus lienis, qui hepatica et splenica vasa comprimendo aequilibrium circulum inter venosum et arteriosum tollit; sanguis hic facile in vasa ventriculi effunditur; eundem effectum vitium aneurysmaticum producere valet. Crapula, voracitas organa splanchnica turbando, haemorrhoides provocando in morbum disponunt. Vini abusus, spirituosorum, cophoese quum chronicam gastro-enteritidem pariant, remota morbi nigri causa esse possunt. Melancholia, hypocondriasis, exscandescentia, animi pathemata deprimentia, potissimae et frequentissimae morbi nigri caussae sunt, sicut et consuetae evacuationes menstruae et haemorrhoidales retentae. Venena et praecipue drastica, quum gastro-enteritidem producant unde hepatis et lienis laeduntur functiones, morbus niger consequitur; ratio demum vivendi laboriosa et victu destituta sufficiente, violenti conatus, ut traumatici insultus inter causas morbum nigrum determinantes numerari merentur. Symptomaticus interdum morbus niger occurrit seu secundarius; id contigere solet post uteri, pulmonum, pericardii inflammationes, icterum, febres acutas, eas alias

malignas dictas, putridas, nervosas, biliosas, praesertim si incendiaria methodo tractentur; febri flavae Americanae et Hispanicae, Liguruicae; typho petechiali, scorbuto, morto maculoso, dysenteriae chronicae consociatus aut consectarius morbus niger visus est.

§. V.

Conditio Pathologica seu Essentia Morbi.

Monuimus jam superius immortalem Morgagnium morbum nigrum, seu hujusa morbi productum in exhalatione tenuissimarum, et subtilissimarum extremitatum vascularium sanguinea interna super ventriculi superficie reptantium consistere docuisse; quod inventum Portal et Merat falso illi contenderunt. Qua opinione praemissa, morbi nigri conditionem pathologicam neque in phlogosi gastroenterica, juxta Sautorellinm neque, id Kaempfio et Tissotio docentibus, in sanguine congregato atque infarcito in vasibus ventriculi suam solummodo rationem invenire aperte patet; sed in visceribus obstructis, hepate, nempe, liene, paucreate, mesenterio, quae ipsorum in venam portarum compressione non modo, sed etiam in truncos arteriosos splenicos, hepaticos analogosque infarctum arteriarum gastricarum, intestinalium, et sic porro inducunt.

Reiteratas propter stases, vascula sanguinea lenta detenti irritatione, distenduntur atque in eorum extremitatibus dilatantur, frequentesque tali pacto exhalationes sanguineas promovent. Hujusmodi irritatio ad mucosam intestinalem gastricam propagatur, et deinde in chronicam phlogosim convertitur: procedunt hinc vastae maculae nigricantes hujus canalis in superficie, quae deficientem ab organicam reactionem partium, et resistentiam in statum gangraenosum convertuntur. Quod autem ad qualitatem materiae evacuatae in hoc morbo attinet, dici potest a sanguine omnino suppeditari, variumque ejus colorem et consistentiam a mora plus minusve diuturna in ventriculo tenuibusque intestinis et contactu cum gas acido carbonico ibi abundantissimo et succis gastricis et intestinalibus immixto, caeterisque substantiis excrementitiis pendere. Cum autem sanguis picis praesertim consistentiam susceperit, longa statia in vasibus propter circuli lentorem est solum incusanda: eodem tempore insuper praevalens partis adfectae calor, cujus causa sanguinis densitas augetur ita, ut evasatus adspectum et formam picis assumat, plurimum ad morbum graviorem reddendum confert. In morbo nigro secundario vel symptomatico febrium nonnullarum in fine obveniente, facile conditio pathologica deprehenditur. E vasculis enim gastro-entericis phlogosi plus minusve acuta correptis

sanguis facile evadit, ejus crasis pervertitur, quum sub specie materiei obscuro-nigricantis evacuetur Horum verum morborum decursus longe ab illo morbi nigri substantivi differt; neque semper hepatis, lienis et sic porro infarctus reperiuntur, ut in systema sanguineum gastro-entericum, splenicum, hepaticum, mesentericum, unde sanguinis in ventriculum et intestina effusio manat, compressio determinetur. Idem pro sanguineis evacuationibus in scorbuto, in morbo haemorrhagico, qui cum diathesi scorbuties directe conjuncti incedunt, valeat. Morbi nigri essentiam eruentum sistit profluvium venoso in systemate residens propter congestionem, sublatum hydraulicum aequilibrium, dilatationem extremitatum vascularium, varices etc. Aliter ac res habet in morbo nigro variis febribus consecutario, cujus morbosus processus in systemate arterioso potius est recondendus, in hoc enim primario adfectio sita est; symptomaticum verum scorbuti venoso systemati referre malumus.

§. VI.

Diagnosis differentialis, Prognosis, Therapia.

Morbi nigri diagnosis exclusiva ab ipsa prosopographia in descriptione superius delineata patet: insignesque characteres quibus donatur impediunt quo-

minus morbus, de quo dicimus, cum valde affinibus confundatur. Phoenomenis igitur localibus et universalibus morbum nigrum constituentibus rite perpensis, facile a mera haematemesi, haemoptysi, fluxu haemorrhoidali, a secundario vel symptomatico morbus niger idiopathicus distinguitur: in hocce tamen ultimo ubi durante febre aneurysmaticae turbae obtineant, quoad originem diagnosis magis ardua evadit. Infausti semper omnius morbus niger, id Hippocrate omnibusque medicis observatoribus mouentibus, esse consuevit. Non a qualitate sed quidem a quantitate sanguinis emissi, turbisque viscerum abdominalium prognoseos criterium est eruendum. Quo magis enim textus horum organorum turbae extensae et profundae sunt, et sanguinis evacuatio vehemens et copiosa evadit, eo periculum gravius fit; immodico revera sub fluxu vita morbo nigro laborantis fere semper exstinguitur. Symptomatici seu secundarii morbi nigri prognosis febribus et scorbuto consociati vel consectarii melioris fuit augurii; momentosaa enim organorum abdominalium perturbationi morbosa quaedam conditio fluidorum solidorumque fere generalis conjungitur, unde consequae phlogoses erysipelatosae et gangraenosae degenerationes procedunt. Quum morbus niger diverso imma duplici interdum symptomatum syndrome prodeat, eadem ratione duae medicamentorum series in usum trahan-

tur oportet; durante sanguinis evacuatione palliativa, extra fluxum radicalis pharmaca seu therapia directa adhibeantur. Primo in casu optime cedunt sanguinis depletiones tum locales cum generales, si has tolerat aegri temperamentum, potus mucilaginosi, subacidi, aqua egelida, quies, clysmata emollientia, eccoprotica, manna, cassia, tamarindus, ut evasataa substantiae diluantur, eorum acredo corrigatur, expulsio juvetur, at phlogisticum incendium praecaveatur, quod in tubum gastro-entericum suscitare pollerent, aut inductum imminuatur. Abstinendum a purgantibus validioribus et activis, ab adstringentibus, calefacientibus, oppiatis et hujusmodi remediis; scopo autem spasmos et nervosas turbas sadandi extractum hyosciami arripiatur. Quamvis auxilia nuper indicata durante melaenica evacuatione prosint, conditionem tamen pathologicam non vincunt, quaa in viscerum infarctubus tota consistit; tractamen itaque therapeuticum contra hos convertendum venit. Quamobrem sanguinis deplationes generales canta manu, et praesertim locales vasis haemorrhoidalibus utiles probatae sunt; usus deinde internua gummi ammoniaci, saponis, extracti amari, decoctionum resolventium, aperientium, seri lactis et caetera. Symptomatibus cunctis persistentis gastro-entericae irritationis memoratorum ope medicaminum abactis, potus ferruginosi, aliaque praeparata martialia,

lege autem, ut prodeunte aliquo symptomate irritativo haec persaepe remedia consequente, prohibeantur, optimam symbolam ferunt. In morbo nigro secundario cura in febrim, qua procedit, est dirigenda, methodum ergo antiphlogisticam nunquam medicus deserat. Morbo nigro symptomatico in febribus periodicis obveniente, quum in eorum paroxysmis splen propter vasorum capillarium congestionem magis, quam ejusdem visceris extensio patitur infarcitur accessifuga et praesentim praeparata chinae mirificam exserunt efficaciam. Si a retento fluxu menstruo, aut haemorrhoidum, aut ablato de repento exanthemate, impetigine, podagra morbus pendeat, ut fluxus suppressus, morbusque primitivus revocentur erit adlaborandum. In morbum nigrum a scorbuto derivato, utilia erunt pharmaca, quae pro hacce adfectione debellanda laudantur. Nullum tamen et sapientissimum et prudens tractamen juvabit nisi congruum regimen diaeteticum observetur; cujus normae, quum omnibus convalescentiis communes sint, omittuntur.

THESES DEFENDENDÆ

1. Dantur signa certa lithiasis vesicalis liberae et saccatae.

2. Nevroses empiricae potius quam rationaliter curantur.

3. Epilepsiae frequenter per sympathiam oriuntur.

4. Morborum medicaminumque innumeras cohortes in duas tantum cogere classes, illos nempe diathesi sthenicae vel asthenicae adscribam, haec illis adcommodare; imperfectum, immo rationali destitutum fundamento.

5. Pathogenesis febrium intermittentium in systemate cerebro-spinali est requirenda.

6. Ferrum est roborantium princeps forsan remedium.

7. Medicus e Sibiria ortus malus medicus in Africa.

8. Hippocrates praeteritis, praesentibus, futuris temporibus semper erit veneratione dignus.

9. Morbo nigro nisi inflammatoria irritativa semper conditio subest.

10. Dyspnoea ab aucto hepatis non lienis volumine pendet.

11. Medicus qui plus viderit, quam legerit, caeteris paribus, praeferendus.

12. Autopsiae ut vere utiles sint, non a medico curante instituendae.

13. Unius visceris volumen adauctum de ejus hypertrophia satis non deponit.

14. Chlorosim non inflammationi sed totius massae morbosae qualitati atque imperfectioni organicae tribui debere experientia docet.

ERRATA — CORRIGE

Pag.	lin.		
9	18	par	per
10	4	vigro	nigro
—	6	spasmodica	spasmodicae
11	13	copiosis,	copiosarum,
—	23	immienitur,	imminuitur,
12	3	et	est
—	20	vertriculus	ventriculus
13	15	Duplen causerum	Duplex causarum
—	16	suscipiendam	suscipiendum
15	4	morto	morbo
—	9	Mornuimus	Monuimus
—	10	bujusa	hujusce
16	13	dioturna	diuturna
—	19	statis	stasis
20	10	praesentim	praesertim
21	10	adscribam,	adscribera